INNICVS AVALOS

Miſeratione diuina EPISCOPVS Portuen̄ & Sanctę Ruffinę Cardinalis de Aragona nuncupatus Venerabilis Archiconfraternitatis Sanctorum duodecim Apoſtolorum de Vrbe Protector ac Re-
uerendiſsimus Dominus Paulus Alberus Archiepiſcopus Raguſeus ac dictę Archiconfraternitatis Prior cœteriſq; officiales eiuſdem Archiconfraternitatis totam ipſam Archiconfraternitatem repreſentan-
tes Vniuerſis et ſingulis Chriſtifidelibus p̄ntes lr̄as noſtras inſpecturis ſalutem in Domino charitatis opera ſectantes per quę Dominus Noſter IESVS CHRISTVS Dei Filius paratum
nobis regnum ab origine Mundi pollicetur illud quidem apoſtolicum inſtitutum amplexi fuimus per quod de proximi ſalute ſæpe ſæpius recogitantes illiuſq; miſerandis caſibus infortuniis et calamitatibus
ſubuenientes ſalubre remedium adhibentes vt coeleſtem illam vocem in nouiſſimo die audire mereamur eſuriui et dediſtis mihi manducare ſitiui & dediſtis mihi bibere infirmus eram et viſitaſtis me Venite bene
dicti poſsidete regnum, hoc igitur non ſolum in hac Alma Vrbe verum etiam vbiq; locorum & gentium exerceri cupientes idq; vigere & deuotionis incrementum ſuſcipere ſummis deſiderantes affectibus
eos libenter amplectimur quos ad hoc noſtrum inſtitutum erga pauperes verecundos, qui et manducare erubeſcunt et fodere non valent ac infirmos exercendum alacriores fore reputamus vt amicos ſibi de
mammona iniquitatis faciant per quos in æterna recipiantur tabernacula Cum Itaq; nuper Dilecti nobis in Chriſto Venerabiles viri Domini moderni Prior aliiſq; officiales et Confratres Venerabilis So
cietatis ſeu Confraternitatis Sanctiſsimi Sacramenti Corporis CHRISTI in Eccleſia parrochiali Sancti Laurentii præfatę Ciuitatis Bergomen̄ erectę & inſtitutę per Reuerendum Dominū
Abundium Arigonum Ciuem Bergomen̄ procuratorem veſtrum ad id a vobis ſpecialiter conſtitutum et deputatum nobis exponi fecerint q. ipſi Confratres pia ſincera atq; ſingulari erga noſtram Archicon
fraternitatem deuotione ducti & maximo erga pauperes verecundos ac infirmos pietatis feruore accenſi quam noſtrę Archiconfraternitatis inſtituto in ipſa Vrbe Ad omnipotentis Dei laudem ipſorumq; pauperum
verecundorum ac infirmorum ſalutem et ſubſidium tam ſpirituale quam temporale continuo exerceri quoad poſſumus procuramus circa illam vacare cupiant et intendant, Et propterea eidem noſtrę Archiconfraternitati
perpetuo aggregari ſub illius protectione recipi et admitti eamdemq; vti Matrem ac Superiorem perpetuo recognoſcere petierint Quare præfatus Dominus Procurator & eo nomine a nobis debita cum inſtantia poſtulauerit ut
ipſam Confraternitatem et illius Confratres noſtrę Archiconfraternitati perpetuo aggregare ac ſub illius protectione recipere vellemus Nos igitur ſatagentium votis huiuſmodi noſtrum inſtitutum am
plecti quantum cum Deo poſſumus reſpondere eoſq; dignis fauoribus confouere exoptantes ſummopere auctoritate nobis a Sanctiſsimo Domino Noſtro Papa Sixto quinto ad Chriſtifidelium deuotionē
propagandam per ſuas deſuper confectas literas apoſtolicas ſub annulo piſcatoris et ſub datum Romę apud Sanctum Petrum Die quinta decima Iulii Anno Domini Milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſexto Pontificatus ſui
anno ſecundo conceſſas et indultas tenoris ſubſequentis videlicet SIXTVS Papa Quintus Ad perpetuam rei memoriam præclara pietatis et miſericordię opera quę Dilecti filii Prior Camerarius et deputati aliiq;
Confratres Societatis Sanctorum Duodecim Apoſtolorum de Vrbe circa pauperes verecundos & infirmos exercent nos inducunt vt eamdem confraternitatem quę aliis eiuſdem nominis Societatibus prælucet nomine prælationis de
coremus ac fauoribus et gratiis proſequamur opportunis Itaq; Supplicationibus etiam Dilecti filii nr̄i Innici tituli Sancti Laurentii in lucina pbrī Cardinalis de Aragona nuncupati et Protectoris eiuſdem Societatis hac in
parte inclinati Confraternitatem Sanctorum Duodecim Apoſtolorum præfatam in Archiconfraternitatem et Caput omnium Confraternitatum ſub eadem inuocatione in quibuſlibet Ciuitatibus terris et locis per Vniuerſum orbē
conſtitutarum erectarum et erigendarum ac aliarum cuiuſuis alterius nuncupationis eiuſdem tamen inſtituti eidem Archiconfraternitati pro tempore aggregandarum auctoritate apoſtolica tenore p̄ntium perpetuo erigimus et
inſtituimus Ac Priori Camerario cœteriſq; deputatis Archiconfraternitatis huiuſmodi Quaſcunq; Confraternitates vbiq; exiſtentes tam dicti nominis Sanctorum Duodecim Apoſtolorum quam alterius nuncu
pationis eiuſdem tamen inſtitutum circa ſubuentionem pauperum verecundorum et infirmorum tenentes ipſi Archiconfraternitati aggregandi Ac omnes et ſingulas Indulgentias & peccatorum remiſſiones et alias
quaſcunq; gratias ſpirituales eidem Archiconfraternitati per nos et alios Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros quomodolibet conceſſas et in futurum concedendas dictis Confraternitatibus quarum ipſa
Archiconfraternitas Caput exiſtit & aliis ut præfertur pro tempore aggregandis communicandi facultatem per eaſdem præſentes concedimus non obſtante noſtra de non concedendis indulgentiis ad inſtar
ac aliis conſtitutionibus et ordinationibus apoſtolicis cœteriſq; contrariis quibuſcunq; Datum Romę apud Sanctum petrum ſub annulo piſcatoris Die quinta decima Iulii Milleſimo Quingenteſimo octuageſi
mo ſexto Pontificatus noſtri Anno ſecundo Tho. Thom̄ Gualterutius Venerabilem Confraternitatem Sanctiſsimi Sacramenti corporis Chriſti erectam et inſtitutam in Eccleſia parrochiali Sancti Laurentii Ci
uitatis Bergomen̄ omneſq; et ſingulos eius confratres nunc et pro tempore omnibus melioribus modo et forma quibus melius poſſumus tenore præſentium eidem noſtrę Archiconfraternitati aggregamus
et aſsociamus ipſamq; et illius Confratres ſub eiuſdem protectione et in eiuſdem gremium recipimus et admittimus Necnon omnes et ſingulas Indulgentias et peccatorum remiſſiones et alias quaſ
cumq; gratias tam ſpirituales quam temporales atq; alia priuilegia hactenus nobis Romanos Pontifices conceſsas et conceſsa & in futurum concedendas et concedenda communicamus et de illis participes
facimus dummodo deinceps perpetuis futuris temporibus dicta Confraternitas Sanctiſsimi Sacramenti corporis Chriſti et Sanctorum Duodecim Apoſtolorum nuncupetur Monemus Itaq; et in Domino
fraterne hortamur illius Confratres et eorum ſingulos qui hoc dignum et laudabile inſtitutum profeſsi ſunt vt ſtatuta noſtra quorum copia tranſmittitur ſeruare muneraq; ſuſcepta peragere omnino curent
Volumus autem ut ipſa Confraternitas ſingulo quoq; quinquennio Archiconfraternitatem noſtram per epiſtolam uel procuratorem ad id ſpecialiter deputatum vti Matrem et Superiorem recognoſce
re teneatur Si qua uero alia Societas in dicta Ciuitate Bergomen̄ forſan inſtituta ipſi noſtrę Archiconfraternitati aggregata reperiatur p̄ntes noſtrę literę nullius ſint roboris uel momenti nec in aliquo illi
ſuffragentur IN QVORVM omnium et ſingulorum fidem p̄ntes noſtras literas manu noſtra ſignatas per infraſcriptum dictę Archiconfraternitatis Secretarium ſubſcribi et eiuſ
dem ſoliti ſigilli appenſione muniri fecimus Datum Romę apud Baſilicam Sanctorum duodecim Apoſtolorum in Oratorio noſtrę ſolitę congregationis inibi fieri ſolitę Anno reparationis Dominicę Milleſimo
Quingenteſimo Nonageſimo ſecundo Die Iouis vigeſima ſeptima Menſis Februarii Pontificatus Sanctiſsimi in Chriſto Patris et Domini noſtri Domini Clementis diuina prouidentia Papę octaui Anno
Primo

In. Epus portuen: Car. de Arag: protector.

Paulus Alberus Archieps Ragusinus Prior

Dionisius Seraptus dictę Arcifr.tis Secret.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-182269101X-19

1512 4/11

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-182269101X-19